

non tamen ob meritum miseram vicinia fecit.  
iam Maro pulsus erat: set viribus obvius ibat  
fretus amicorum clipeo, cum paene nefando  
ense perit. quid dextra furis? quid viscera Romae  
sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit  
posteritas ipsumque ducem nisi Mantua dicat.  
non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.  
itur ad auctorem rerum, quid Martius horror  
egerit, ostendunt, qui tam miseranda tulisset.  
Caesaris huic placido nutu repetuntur agelli.  
his auctus meritis cum digna rependere vellet,  
invenit carmen, quo munera vincere posset:  
praedia dat Caesar, quorum brevis usus habendi,  
obtulit hic laudes, quas saecula nulla silescant.  
pastores cecinit primos: hoc carmine consul  
Pollio laudatur ter se revocantibus annis  
composito. post haec ruris praecepta colendi  
quattuor exposuit libris et commoda terrae  
edocuit geminis anno minus omnia lustris.  
inde cothurnato Teucrorum proelia versu  
et Rutulum tonuit. bissena volumina sacro  
formavit donata duci trieteride quarta.  
sed loca quae vulgi memoravit tradita fama  
aequoris et terrae statuit percurrere vates,  
certius ut libris oculo dictante notaret.  
pergitur: ut Calabros tetigit, livore nocenti  
Parcarum vehemens laxavit corpora morbus.  
hic ubi languores et fata minacia sensit